



Ioannes natus est in oppido Vuëinsperg Cheru-
 scorū ex honesta familia Hausfschein parentibus
 (ut illic uiuī) mediocris fortunę anno 1482. Hunc er-
 go ex liberis unicum superstite parētes literis desti-
 narunt, ac scholā frequentare iusserunt. Itaq; primis
 Grammatices fundamētis factis, Helprunā eo tem-
 pore insigni schola celebrē miserūt. Postea Heidel-
 bergam ad academiā uenit, ubi breui ita profecit, ut
 annos natus 12 tolerabilē uersum scriberet. Biennio
 pōst Baccalaurei honorē obtinuit, unā autē cum hu-
 manioribus literis etiā pietatē imbibit, atq; religiōe
 & uitæ innocētia omnibus gratus extitit. Posteaq;
 autē Magisterij gradum suis studijs nactus esset, Bo-
 noniam cōcessit, atq; Iurisprudentiæ operā dare proposuit. Verūm cum eius
 ualetudo aerem Italiæ ferre nō posset, post semestre tēpus ad suos rediit, atq;
 in patria amicos salutauit. Inde iterum Heidelbergam profectus, Iuris stu-
 dio posthabito, ob frequentes eius professionis contentiones, Philosophiæ,
 Hebraicæ & Græcæ linguæ, & tandē etiā S. Theologiæ diligentem operā im-
 pendit. Consiliū autem omne huc referebat, ut in ea Sophistarum de do-
 gmatibus controuersia, sacras literas ipsamq; ueritatem sibi familiarem red-
 deret. Itaque cum eius eruditio et pietas ad Philippum Palatinum deuenisset,
 ipse Iohannem suis liberis pædagogum asciuit. Verūm cum ei aulica uita
 multis negocijs intricata displiceret, impetrata ueniā ad pia studia rediit, &
 Tubingam profectus, Capnionem linguarum peritissimum audiuit. Ab eo
 Græcarum literarum uerum usum didicit, atq; mutis Magistris adhibitis adeo
 profecit, ut Heidelbergam rediēs Grammaticam, quam Dragmata inscripsit,
 componeret. Postea quoq; à Hispano quodam Iudæo Hebræam linguam e-
 xactius cognouit. Hisce peractis, ut ea quæ didicisset ad usum accōmodaret,
 Vuinspergensis Ecclesiastes factus est.